



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs II. De vniuersalitate reali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

de agimus, genus nimirum, & species, non requiritur multitudo facta, & creata, sed sufficit increata: vt ergo vniuersale sensu nuper proposito actu detur, & existat, non est opus multitudine inferiorum existente, & suas. extra causas posita.

50

Assero secundò: si verbum, *existit*, aut *actu datur* appellet pro eo, ac potest supra genus, & speciem, tam quoad eorum formale, quam etiam penes materiale v.g. animal, hominem &c. ita quidem locum habet differentia superior inter primum, & secundum prædicabile, si tamen recte explicetur. Explicari autem, & suaderi potest primò hunc in modum quanquam vnus duntaxat homo existat, cæterum speciei humanæ tota perfectio essentialis quasi intensua censetur existere, tametsi non extensua tota: non hæc; quoniam sita est in Petro, & Paulo, & cæteris omnibus indiuiduis hominis, quæ constat tum non existere: alit illa existet tum quoad formale speciei, videlicet actum abstrahentem; quippè cuius supponitur existentia, tum etiam quoad materiale speciei: hoc enim est animal, & rationale duntaxat, cum hi duo gradus solum constituent, ac veluti intendunt essentiam logicam hominis, quomodolibet considerati, & siue in abstractionis, siue in contractionis statu: Petreitas verò, & Pauleitas nunquam, & nusquam sunt de eius essentia logica, vt communiter est in confesso apud omnes, vtque infra explicandum est lib. 9. tract. 3. cum sermo fuerit de definitione speciei: at animal, & rationale eo in euentu absolute existent. Cæterum existente vna sola specie non tantum non existeret tota perfectio essentialis veluti extensua generis, sed neque intensua: hæc enim coalescit non tantum ex viuente, & sensibili, quibus definitur animal, sed etiam ex differentiis specificis; quippè quæ animali in statu saltem contractionis tunc essentielles logicæ, & cum ea speciem constituunt. Alit tunc minime existerent differentia specificæ omnes animali subiectæ: ac proinde nec tota essentia logica animalis in quouis statu considerati.

51

Secundò eadem differentia explicari potest, ac breuius, & dilucidius: species definitur à Porphyrio in Isagoge cap. 2. quæ componitur ex genere, & differentia: huiusmodi autem species existeret in vno solo indiuiduo, tum quoad formale, vt constat, tum etiam quoad materiale, siquidem supposita vnus duntaxat indiuidui existentia, & productione, nihilominus tum existeret absolute animal, & rationale, quibus duobus clauditur speciei humanæ v.g. prout definitur superius materiale, siue substratum. Cæterum vna sola specie animalis existente existeret quidem genus animalis quoad formale, non tamen quoad materiale: ecquid enim esset illud materiale tum exiturum? non plures species, vt supponitur: non vna sola, cum hæc non sit sufficiens generis materia: non denique viuens, & sensibile, quæ constat animal; prout enim his coalescit gradibus, non tam est materiale generis, quam speciei à Porphyrio definitæ vt supra.

52

Tertiò differentia illa generis, & speciei inter tot, tantosque authores recepta eorum in gratiam ita potest explanari. Genus tum quoad formale, tum etiam quoad materiale (nisi enim vtroque modo sumatur inter illud, & speciem vestigare discrimen haud aliud erit, quam, vt aiunt, nodum in scirpo querere) nequit existere in vna sola specie, quin depereat vniuerso ea pulchritudo, quæ ex varietate, & dissimilitudine exurgit: Quæ, quanta sit, longus sim, si in omnibus generibus explicem: satis


sit eam in vno perstringere, eoque sat abiecto, & vili, flosculo nimirum mox tabescente: Quam enim admirabilis, & pulchra eius infinita illa propemodum varietas? Sunt, vt Lessij nostri de prouidentia numinis lib. 1. verbis vtat, continui, dissecti, profundi, repandi, in cymbam cauati, in crinem surrecti, in lanam carminati, alati, rostrati, cornuti, caudati, apiformes, spicati, in sphaeram radiatim dispositi, racematim stipati, vmbellatim diffusi, circinatim digesti, folio simplici, triplici, quadruplici, multiplici constipato in orbem, extrorsum conuoluto, introrsum replicato, falcato, crispante, explanato, striato, crenato, simbrato: Nec minor colorum variatio: candidi, flauo, gilui, luteoli, sanguinei, punicei, cyanei, purpurei, ianthini, colore simplici, miscello, multiplici, saturo, diluto, ex rubro pallescente, ex croceo rubescente, ex puniceo purpurascente, aurato, vel purpureo interpuncti, virgati, stellati, segmentati, fundo gemmato, vmbone medio apicibus è centro decore prodeuntibus, &c. Quod si floris genus harum specierum duntaxat vnâ fortiretur, haud dubie vniuersum ea varietate destitutum coniunctæ cum ea pulchritudinis iacturam pateretur non modicam: idem autem contingeret in quocunque alio genere, nò, nisi in vnus speciei angustis sese ostetante.

At species aliqua potest existere in vno solo indiuiduo, quin ob id vlla desit vniuersitati rerum dissimilitudo ad eius splendorem necessaria: id, quod constat, tum à priori, quoniam indiuidua vnus speciei, cum sint omnino similia, nullam, etiam si plura existant, dissimilitudinem propriè dictam pariunt magis, quam si vnum solum producat in lucem vniuersi: tum à posteriori, quia de facto, vt aiunt, credendum non est, vllam mundo aut summæ rerum abesse dissimilitudinem, seu varietatem eius pulchritudini necessariam: & tamen species solis in vno solo indiuiduo producta est; necnon species lunæ, & cæterorum syderum errantium, & plerorumque, aut fortasse, omnium fixorum: conseruatur etiam species Phœnicis in vno solo indiuiduo, non perenniter quidè existente, at perpetua quadâ successionem restituito, de qua inter alios Poëtæ bellè Claudianus.

*Par volucer superis, stellæ qui vinidum aquat
Durando, membrisque terit redeuntibus æuam
Et paulo infra.*

*Hic neque concepto factu, nec semine surgit,
Sed pater est, prolesque sui, nulloque creante
Emeritis artus secunda morte reformat,
Et petit alternam totidem per funera vitam.*

Quod autem Poëtæ passim decantant Phœnicem nidulo à se ex casta, & surculis thuris, odoribusque variis structo super emori, & mox suis ex reliquiis eum renasci, & cum illo totam speciem prius extinctam; hoc inquam non velut poëticam fabulam, sed vti veram referunt historiam Plinius lib. 10. natural. hist. cap. 2. B. Ambros. in morte fratris de fide resurrectionis orat. 2. & alij graues authores.



TRACTATUS II.

De vniuersalitate reali.

CAPVT I.

An ex unitate, siue identitate reali, & distinctione opposita vniuersale ex parte rei de facto inferatur? ubi sententia Platonis examinatur.



VREOLVS in 2. dist. 9. quæst. 2. art. 1. & alij plures vniuersale quoddam à parte rei ex identitate,

identitate, siue unitate reali, & multiplicitate ei opposita coalescens attribuitur Platoni; cuiusque ideas separatas, immortales, incorruptibiles ita explicant, vt sint naturæ vniuersales, quæ cum unitate reali distinctionem realem coniunctam habent, & à singularibus, de quibus prædicantur, separatæ sunt non tempore, aut loco: sed quia ab iis realiter distinguuntur.

Hæc sententia ita explicata nequaquam potest sustineri; est enim ab omni verisimilitudine, ac probabilitatis specie aliena; quod suadeo. Primò, quia nihil affirmari potest de aliquo à se realiter distincto: alias Deus posset de lapide prædicari: sed homo de Petro, & Paulo v. g. prædicatur: ergo ab eis realiter non distinguitur, vt rectè arguit contrà hanc sententiam Aristoteles 1. Metaphys. text. 33. Secundò quia Petrus, & Paulus essent vnus, & idem realiter homo, siquidem eadem realiter humanitate in hac sententia gaudent, quantumuis diuersa singularitate eam contrahant. Quà ratione tres personæ diuinæ ob vnâ deitatem, non obstant multiplici personalitate, vnus Deus, non tres Dij sunt. Tertio quia æternitas, immortalitas, siue incorruptibilitas solius Dei proprietates sunt: falso ergo humanitas illa separata adstruitur immortalis, & æterna.

Rursus quartò: quia iuxta sententiam illam eadem realiter natura humana posset simul assentiri, & dissentiri eidem obiecto; idem etiam amore, & odio prosequi: nec non vnâ peccare, & mereri: Deo beatificè frui, & in inferno cruciari: quæ quis falsa, & blasphemata non videat? sequela probatur: quoniam prædicata illa opposita de diuersis indiuiduis simul verificari possunt, vt est luce meridiana clarius: at non nisi ratione naturæ de iis verificantur: ergo si eadem realiter natura humana omnibus indiuiduis inest, eadem humanitas opposita illa prædicata, & non absimilia subibit: minor, quæ sola eget probamento, suadetur: quia passiones, & actiones illi oppositæ modo commemoratæ ratione animalitatis, & rationalitatis indiuiduis conueniunt: nam quæ rationales peccamus, meremur, odimus, amamus, assentimur, & dissentimur: quia animales, & rationales cruciamur, & beamur: at animalitas, & rationalitas est humanitas: huius ergò ratione, & merito in diuersa indiuidua diuersa illa, & opposita prædicata congruunt. Tandem, quia in Eucharistia tota substantia panis in substantiam corporis Christi iuxta oppositam commentationem in nimè conuerteretur: quod Patribus, & Concilijs apertè contradicit: sequela autem est in aperto: nihil enim in seipsum conuerteri potest: at secundum doctrinam contrariam substantia, seu natura panis à substantia corporis Christi non distinguitur: altera ergò in alteram est inconuertibilis.

Adduci ægrè possum, vt Platonem eximium philosophum in hac fuisse sententia, vel potius amentia existimem: quocirca cum aliis non paucis eum mitius explico, & ideas ab illo adinuentas, non alias esse, quam cogitationes Dei vniuersales in representando, nec non in cauendo instar cauiarum exemplarium, aut certè formalium extrinsecarum autumo; nempe, quia in cogitationes diuinæ memtis omnia conueniunt, quæ de ideis Plato philosophatur. Quò autem hæc eius explicatio, ac descriptio probabilior esse appareat, nonnullæ aduersus eam obiectiones sunt repellendæ.

Obiiciis igitur primò, ideam hominis v. g. humanitatem, ac hominem à Platone appellari, vt testis est Seneca epist. 66. & apud Eusebium Cæsa-

riensem cap. 11. Didymus Platonius: at diuina scientia de homine homo nequaquam est: ergo idea Platonica à diuinis notionibus sunt distinctæ. Respondeo: idea hominis à Platone homo intelligibilis siue in esse intelligibili appellatur ea ratione, quæ modo à non paucis Thomistis omne obiectum esse idem in esse intelligibili cum cognitione, & è conuerso existimatur, idque vsque adeo, vt hanc identitatem veram, & strictam esse reantur; eaque ratione, quæ imago exterior Cæsaris v. g. Cæsar appellatur: at hoc pacto scientia Dei de homine homo est, nec in hoc aliquid incommodi apparet. Quam responsionem hunc in modum suadeo. Plato ideam mundi cum mundo comparans hunc mundum sensibilem, illam verò mundum intelligibilem, siue, quod perinde est, in esse intelligibili appellat, vt apertè testatur Augustinus lib. 1. retractationum cap. 3. & Clemens Alexandrin. lib. 1. Stromatum.

Obiiciis secundo, Platonem solarum specierum, non generum, aut indiuiduorum ideas posuisse: at scientia Dei non magis est generum, quam specierum, deque indiuiduis clare distinguit, ac secernit: eiusmodi ergò ideas à scientia Dei sunt distinctæ. Respondeo: Plato lib. 6. de republica & alibi passim ideas suas species nuncupat eò quod cuncta representent: ex quo minimè inferitur ideas illas esse specierum potius, quam indiuiduorum, aut generum aliud enim est, ideas esse species intentionales, & vniuersales in representando, quod solum Plato edocuit, aliud esse species vniuersales in essendo, & inter genera, & indiuidua medias, quod Sotus nominis amphibolia delusus, & alij ei imponunt.

Et quidem haud solarum specierum, sed etiam generum esse ideas illas Platonicas ab eo species nuncupatas ex multis eius testimoniis constat. Nam in Parmenide sic habet: *at si quis eorum, quæ paulo ante dixi, primum species ipsas secundum se ipsas seorsum distingueret veluti similitudinem, dissimilitudinem, multitudinem, vnum, statum, motum, ceteraque huiusmodi; deinde in seipsis ista commisceri, secernique posse asseret, &c.* Et paulo infra: *videntur ne tibi, vt aiebas, species quadam existeret, & ea, quæ illis participant, illarum cognomena sortiri? veluti similitudine participantia similia, magnitudine magna, pulchritudine, atque iustitia pulchra, & iusta vocari? & maxime quidem inquit Socrates.* Porro Socrates personam Platonis gerit. Inferius etiam: *ignotum itaque nobis ipsum pulchrum, & ipsum bonum est, & omnia denique, quæ, vt ideas esse supponimus.* Rursus idem habet in Phædone: *siquidem sunt ea, quæ quotidie prædicamus, pulchrum scilicet, atque bonum, & omnis eiusmodi essentia, ad quam omnia sensibus percepta referimus.* Vnde sic arguo: motus, status, similitudo, dissimilitudo, vnitas, multitudo, pulchrum, bonum, iustum magnum sunt genera quædam, & non species infimæ, & prædicabiles: at in eis suas collocat ideas Plato: ideas ergò haud magis pertinent de sententia Platonis ad species infimas, & prædicabiles, quam ad genera: Quod autem ex superioribus inferri testimoniis videtur, ideas vocari à Platone res ipsas, adeoque perperam collocari in actibus diuinæ scientiæ, id solutum est paulo supra.

Obiiciis tertio, ideas ideo à Platone positas esse, quia aliqui nullæ essent scientiæ, aut disciplinæ: ita ille multis in locis præsertim verò in Parmenide: *verumtamen si quis prædictis rationibus motus species rerum existentium auferat, nec speciem ipsam vniuscuiusque distinguat, haud sanè reperiet, quo conuertat intelligentiam, cum non permiserit ideam vniuscuiusque.*

cuiusque rerum existentium eandem semper existere, & in hunc modum differendi etiam facultatem funditus subueriet. Talem quandam rationem tu quoque (puta Socrates Platonis personam gerens) precipue sensisse mihi videris. Innuit ergo scientiam nostram esse de ideis: at ea, vt non est de singularibus, vt plurimum, ita nec est de diuinis notionibus: ideæ igitur, vt non sunt res singulares, & existentes, ita nec sunt notionēs diuinæ, sed vniuersalia separata.

9 Respondeo, naturas vniuersales, & abstractas ab existentia in sententia Platonis reddi verè intelligibiles antea, quam existant: quare sicut non possumus producere ea, quæ non existunt, quin ea prius natura à potentia Dei vere possibilia sint, & denominentur, ita non possumus cognoscere vniuersalia, & ab existentia abstracta, quin ea prius, natura ab actibus diuinæ scientiæ, & ideis verè cognoscibilia sint, & denominentur: Vnde ex scientia nostra vniuersalium non existentium colligit Plato, ideam in Deo, nō quod nostra scientia de ideis sit, sed, quod ab iis dependeat: sicut optimè ex nostra potentia, potentia Dei colligitur, non, quod nostra potentia Dei posse producat, sed, quod à Dei posse dependeat. Porro ex notitia indiuiduorum, quæ existunt ideam colligere non potuit, eo quod existentiam actuale, ac per consequens veritatem, & intelligibilitatem in se ipsis implicitè habeant, quare, vt cognoscantur, haud opus est recursum ad diuinas ideam.

10 Enimvero instabis, haud videri posse negari iuxta Platonem scientiam nostram esse de ideis. Ita enim habet in Parmenide: *at forsitan qualibet harum specierum notio quadam est, nec alibi esse, quam in animis potest: sic enim vnaquaque vna erit, nec continget, quæ tu dicebas; quid ergo* (inquit hocrefellens) *qualibet notio vna est notio autem nullius notior at hoc impossibile, sed cuiusdam: cuiusdam sanè existentis, vel non existentis: existentis. Nam vniuscuiusdam quod notio illa in omnibus sequens intelligit ideam vnam.* Et inferius eodem lib. *Nonne scientia est illius ipsius, quod est veritas, scientia: omnino quidem: Qualibet rursus scientiarum, quæ est, quod est, alicuius existentium est scientia, an non? profecto.* Scientia, verò nostra non nē veritatis, quæ circa nos scientia erit? & rursus vnaquaque nostra scientia vniuscuiusque eorum, quæ circa nos sunt scientia. Necessè est. Verumtamen ipsas species, neque nos habere, neque circa nos esse posse assentiris? non profecto. Nunquid scientia specie genera singula noscuntur? certè. Quam speciem nos haud habemus? Non certè: nulla igitur species à nobis cognoscitur, cum ipsius scientia participes minime simus. Non apparet: Ignotum itaque nobis ipsum pulchrum, & ipsum bonum est, & omnia denique, quæ vt ideæ esse supponimus. Vtique si ideæ à nobis non cognoscuntur, nec de illis est nostra scientia.

11 Respondeo ideam à Platone adinuentas bifariam sumi posse, etiam si sint quas suprà edocuimus. Primò pro actibus diuini intellectus in abstracto sumptis, & prout condistinctis à varietate illa obiectorum, in quæ feruntur: atque ita quidem scientiam nostram, non tam de eis esse, quam ab eis ita pendere, vt eis sublati haud possumus reperire, quo conuertamus intelligentiam: secundò pro cognitionibus diuinis in concreto sumptis, & prout denominantibus cognita obiecta: creatura: quo pacto hominis idea erit homo cognitus à Deo, siue quatenus hanc denominationem subit, similiter idea leonis leo cognitus à Deo, & sic in reliquis:

ita verò planum esse nostram scientiam esse de ideis diuinis: est enim haud dubiè de rebus æternis à Deo cognitis. Porro ideam diuinam mentis proprias duplici illa ratione iuxta Platonem sumi testatur Clemens Alexandrin. lib. 5. Stromatum, inquit; *In Phædro autem Plato veritatem declarauit esse ideam: Idea autem est de intelligentia, seu, quæ à mente diuina intelligitur: quod quidem barbari dixerunt logon Theu, id est Dei verbum.* En ideam in obiectis à Deo cognitis, prout talibus, sitas. Et eodem lib. paulò infra: *Est enim Dei regio capiti difficilis, quam appellauit Plato Xoram ideon, hoc est idearum regionem, seu campum, & receptaculum.* Ecce ideam etiam in actibus diuinæ mentis seorsim ab obiectis positam, haud enim nisi actus suos ea proprie recipit.

12 Aliter etiam Platonem explicari posse arbitror, vt nihil aliud voluerit quam distinctionem realem essentia: potentialis siue possibilitatis rerum ab harum existentia, merito cuius vt à nobis ostendetur in Metaphysica lib. 2. traët. 1. separabilis est essentia præfata ab existentia, suoque modo est æterna, quin existentia sit nisi in tempore. Nam primò quod asserit Plato, ideam suas esse naturas incorruptibiles, ingenerabiles, æternas, necessarias cum tamen sensibiles omnes, & existentes earum participationes è conuersò se habeant, id in essentiam, & existentiam, quatenus, vt paulò supra explicatum est, distinctas, ac separabiles, optimè quadrat. Rursus secundò, quod ideam illas à sensibilibus separatas, ab iis tamen participari docet, id in essentiam potentialem siue aptitudinalem, & existentiam conuenit: quippe quarum vna ab alia per distinctionem realem separatur, & vna ab alia per identitatem realem participatur. Etenim essentia potentialis in abstracto sumpta, & quatenus est ipsamet rerum possibilitas & aptitudo ad esse distinguitur realiter adæquatè ab existentia, quæ est apta esse: cæterum sumpta in concreto essentia aptitudinalis, siue vt perinde est ac quid aptum esse, profecto est idem realiter inadæquatè saltem cum existentia: id enim est aptum esse quod existit & habet esse: quis autem non videat existentiam ipsam existere & fortiri esse? Ea ergo est quid aptum esse, ac proinde & essentia aptitudinalis siue potentialis in concreto: hanc igitur per identitatem participat: alia vero ex parte vt dictum est ab eadem abstractè sumpta siue à possibilitate per distinctionem realem separatur & è conuersò. Tertiò quod ex scientia, quæ vniuersalium, non verò indiuiduorum existentium est, ideam colligantur, id ad distinctionem essentia: & existentia: pertinet, quæ sane ex propositionibus scientificis & æternæ veritatis argui & non malè consuevit.

13 Et quidem ideam iuxta Platonem esse essentias rerum prout ab earum existentis distinctas ac separabiles suaderi potest multis eius testimoniis. Siquidem in Parmenide sic ait. *Nonne igitur quocumque ex ideis inuicem respiciunt quæ sunt ipsa ad se ipsas essentiam habent, non autem ad ea quæ circa nos sunt, seu simulachra, siue quomodocumque illa quispiam nominet, quibus nos participantes singula esse denominamus.* Vbi pende, quod ait ideam ad se ipsas essentias habere, non vero ad simulachra & res hæc sensibiles, quasi ipsamet ideam sitæ sint totæ in essentiis, secus vero idearum participationes quæ à nobis solent existentia: nuncupari. Rursus eodem libro quem nuper allegauimus sic habet, *Ipsam esse autem quid aliud est quam essentia cum præsentis tempore participatio, quemadmodum ipsum erat cum præteritis.*

præterito, & ipsum erit cum futuro, essentia ipsius communicatio. Vnde sic arguo: esse, siue existentia sensibilis iuxta Platonem est quædam duntaxat participatio essentia: at de eius sententia solum est, quædam participatio, & imago, siue umbra ideæ, ut infra late constabit, utque omnibus est in confesso: ideam ergo cum essentia confundit.

13 Idem ulterius docet Plato, & manifestissime in Phædone: *Siquidem sunt ea, quæ quotidie prædicamus, pulchrum scilicet, atque bonum, & omni eiusmodi essentia, ad quam omnia sensibus percepta referimus, quæ & prius erant nostra, & tanquam nostrum querentes inuenimus, atque ad ipsius exemplar referimus &c.* Infra etiam in Phædone sic habet: *quid vero si uni addatur unum, additamentum ipsam esse causam ut duo fiant, vel, si diuidatur, diuisionem ipsam duorum esse causam dicere non formidaret, aliusque exclamaret, nescire te, quo nam alio pacto quicquam fiat, nisi participatione quædam essentia vniuersalisque proprie, cuius sit particeps, atque in his nullam aliam habere te causam, cur duo fiant præter diuitatis ipsius participationem, sed oportere huius participia fore, quæcumque sunt, duo, & similiter unitatis quodcumque futurum est unum.* Quibus in locis ideam, cuius participatione fit quodcumque cernimus, vocat essentiam.

14 Ad hæc dial. 7. de republ. sic fatur. *Enim vero computandi, & numerandi scientia omnis circa numerum: Hæc itaque disciplina ex earum numero erit, quæ querimus.* Militi quidem cognitu maxime necessaria, Philosopho autem, ut è fructibus generationis emergat, essentiamque attingat: Et paulò inferius: *reor equidem nullam aliam disciplinam ad superorum inspectionem animum excitare, nisi eam, quæ circa essentiam, & id, quod videri non potest, versatur.* Ecce quatenus ideam, de quibus est omnis scientia nostra, essentias semel, atque iterum appellat. Rursus in Timæo sic loquitur: *Fateri oportet, esse speciem, quæ semper eadem sit, sine ortu, atque interitu, quæ nec in se accipiat quicquam aliud aliunde, nec ipsa procedat ad aliud quicquam, sensusque corporis nullo percipitur: atque hoc est quod ad solam intelligentiam pertinet, eiusque intentionis est proprium.* Sed est aliquid post hoc, quod cum ipso, non ratione, sed nomine conuenit, eiusque similitudinem gerit, genitum sensibus manifestum, quod fertur, & sustentatur ab alio semper, & in aliquo loco gignitur, rursusque inde recedit opinione per sensus comprehendendum. Eodem spectant verba Ciceronis, quo ne Platonem ipsum magis Platonicum dixeris: sic ergo inquit lib. 1. academ. quæst. *Mentem volebant (scilicet Platonici) rerum esse iudicem, solam censebant idoneam, cui crederetur, quia sola cerneret id, quod semper esset simplex, & vniuersum, & tale, quale esset, hanc illi ideam appellabant iam à Platone ita nominatam, nos recte speciem, possumus dicere.* An non autem esse semper idem ortum, interitumque nescire, nullo corporis sensu percipi, ad solam pertinere intelligentiam, esse vniuersum, & tale quidpiam, quale est, ad essentiam spectant? Nihil aliud ergo, quam essentiam nomine speciei intellexit Plato, & qui eius assequuti sunt mentem.

15 Tandem Plato aiebat, principium materiale, idearum esse magnum, & paruum, formale verò unitatem, nempe, quia ut interpretatur Fonseca lib. 1. metaph. cap. 6. magnum, & paruum significat genus desumptum suapte natura à materia, multum, parumvè diuisibili, atque composita unitas verò differentiam, quia hæc prout condistincta à genere est indiuisibilis perfectionis, alioqui esset

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

ipsa quædam species constituta ex genere, & differentia: quo fit, haud rarò Platonem ideam appellare numeros, nimirum, quia hi constituuntur unitate. Tum sic: essentia rei est complexio generis, & differentia, ut omnibus exploratum est: atqui lato hanc complexionem non distinguit ab ideam: ergo nec essentiam.

At contra hunc posteriorem modum explicandi Platonem obiciet, primò, eum appellare suas illas intelligibiles ideam naturas vniuersales, necnon sensibiles à contrario indiuiduas, & singulares. Sed essentia haud magis vniuersalis est, quam existentia: nam interdum est singularis, ut, si sit Petri v. g. interdum verò vniuersalis, ut, si hominis: quo etiam, pacto existentia, modo vniuersalitatem sortitur, modo vero singularitatem.

17 Respondeo primò, ideam vocari à Platone, non naturas vniuersales, sed species: specierum autem vocabulum eis magis indidit, quia sunt imagines quædam obiectiuæ, in quas scientia nostra fertur, neque nostra, sed & diuina, quam quia sunt species prædicabiles, & in essendo vniuersales. Non me later Platonem ubi loquitur de suis ideis, ut plurimum uti nominibus pulchri, boni, motus, similitudinis aliarumque rerum vniuersalium: quæ forte fuit causa ut Aristoteles 1. metaphysicæ c. 6. & lib. 7. etiam metaph. cap. 6. & 8. ideam Platonicas quasdam naturas in essendo vniuersales putaret. Fallitur tamen, quia vocabulis illis usus est Plato, non quod ideam ad sola restringeret vniuersalia, & singularium esse negaret, sed quod sermonem haberet de ideis illis, de quibus esse solet omnis scientia nostra: hæc autem est rebus vniuersalibus plerumque.

18 Respondeo secundo, suppositis principiis Thomistarum distinguendum realiter modaliter essentiam non quancunque sed actualem ab existentia, commodè, & satis ex facili explicari posse, quod ideam Platonis sint iuxta ipsum naturas vniuersales quodammodo, & sensibiles earum participationes sint ex consequenti naturas singulares, tamen si haud aliud intellexerit nomine idearum quam essentiam, & participationem sensibilium ideam imitantium quam existentiam. Ratio est quia iuxta eos, quos dixi, authores essentia actualis est indifferens ad hanc aut illam existentiam habendam, utpote res absoluta, existentia verò est determinata ad hanc essentiam actualem, quippe modus quidam illius: quare essentia ut proximè usurpata tamen eadem numero sit quodammodo vniuersalis est: nam in pluribus existentis per identitatem realem absolutam reperibilis est: existentia autem ea ratione vniuersalis non est, eo quod in pluribus essentiis nequeat reperiri, sed potius ei sit essentialiter illigata cuius est modus suapte natura.

19 Respondeo teritiò, quanquam sola essentia aptitudinalis siue potentialis distinguatur realiter ab existentia, & hæc essentia aptitudinalis siue possibilitas rerum sit determinata ad hanc existentiam, & hæc existentia ad hanc possibilitatem siue potentialem essentiam; at nihilominus distinctionem realem essentia & existentia prout iam iam explicatarum sufficere ad Platonem in bono sensu exponendum. Siquidem uti non valet consequentia ad vniuersali ad singulare, at est valida ab hoc ad illud; ut v. g. est Petrus: ergo homo, non tamen è conuerso: ita similiter ab essentia aptitudinali ad existentiam non valet consequutio, valet tamen è diuerso: cum scilicet suo modo detur ab æterno essentia aptitudinalis siue possibilitas rerum siue existentia,

X 2 hæc

hæc tamen nunquam sit in rerum natura sine præfata essentia, & quin eam participet. Aut paulo aliter sicut homo est indifferens ut sit Petrus, vel Paulus, nec magis per hunc, quam per illum contrahi, siue, quod perinde est ut hunc magis quam ut illum concipi postulat, ita essentia potentialis in concreto sumpta, siue quid aptum esse est indifferens ut existat vel non existat, existentia vero utique exercita, est determinata, ut essentiam afficiat, eique suam nequit non tribuere denominationem. His ergo de causis est in essentia ut nuper accepta & existentia vniuersalitatis & singularitatis vestigium quoddam, earumque, sin minus proprietas, at certe imitatio nonnulla.

20 Obiiciēs secundo: Ideæ iuxta Platonem vere, & simpliciter ab æterno existunt: at essentia rerum propriè, & simpliciter non habent esse ab æterno, sed sunt tota retro æternitate in potentia: haud ergo potuit Plato nomine idearum essentias rerum intelligere. Minor est indubia: haud enim vlla res à Deo distincta potest vere, & simpliciter esse, nisi per creationem. Deus autem nihil creauit, aut molitus est, nisi in temporis initio, ac principio aliquo, ut constat ex cap. 1. Genes. & mille aliis scripturæ locis. Maior suadetur: nam epistola 7. ad Dionysij propinquo sic ait: *Eni quæque ipsorum, quæ sunt, tria sunt, ex quibus scientiam fieri necessarium sit: quarum ipsa scientia est: quintum vero oportet ipsum ponere, quod, quid est cognoscibile, id est quod agnoscere potest, atque vere existit: horum vnum est nomen, secundum oratio, siue ratio quadam: tertium simulacrum: scientia quarum*: Hactenus ille, ubi ideam à simulacro eam participante, & scientia eam cognoscente distinctam vere existere docet.

21 Rursum in Timæo sic habet. *Omnis sanè natura fictionis subiecta est, agitataque ab ingredientibus, & figurata quodammodo, alias aliter se habere videtur: quæ vero ingrediuntur, & exeunt: vere, ac semper existentium rerum simulacra sunt miro, & vix explicabili modo ab ipsis rebus, quæ verè sunt figurata. Ecce ideas docet vere, & semper existere, contra vero res hæc sensibiles fictioni esse subiectas, & non tam res, quam rerum esse simulacra quædam. Quod eodem lib. paulò ante latius explicat: hoc, quod semper alias aliter formatum videtur, & plerumque iuxta ignis effigiem, non est vtrique ignis hoc aliquid, sed tale quid, id est, ignem quiddam: neque aqua hoc aliquid, sed tale quid, id est aquem: nec aliud quicquam, velut vllam habens stabilitatem: denique nec pronominibus quidem vllis hæc signanda sunt, quibus in rei cuiuslibet, demonstratione, cum hoc vel illud dicimus, uti solemus: fugiunt enim, nec expectant, vel eam demonstrationem, quæ hoc & huius, & huic designat, vel appellationem, quæ de his tanquam de existentibus, & stabilibus habeatur. Igitur huiusmodi omnia, neque hoc, neque illud, sed tale potius, & tale propter similitudinem aliquam appellare debemus: & ignem quidem vbiq; tale, ac de cæteris, quæ gignuntur eodem pacto. At vero illud in quo fieri singula hæc videntur, ac deinde dissolui, solum his pronominibus, quibus, hoc, vel illud signamus appellandum puto. Hæc ille: ubi elementalem, ac sensibilem ignem, non tam ignem appellandum esse censet, quam effigiem ignis, siue ignem quoddam, nec hoc aliquid, aut illud, sed tale quidpiam: eandemque esse rationem aquæ, & cæterarum rerum, quas cernimus, videlicet ob crebram omnium mutationem, & perpetuum contrariorum in eas incursum: Vnde tantum abest, ut ideæ iuxta Platonem non sint vere, & simpliciter, ut solæ illæ sint veræ res, hæc verò, quæ sunt oculis subiecta no-*

stris, tantum sint imaguncula rerum, ac tenues entium umbellæ: id, quod eum censuisse testis est Aristoteles lib. 1. met. cap. 6. & ibi communiter interpretes.

22 Respondeo: Platonem non tam negasse essentias rerum esse ideas, quam fortassis censuisse essentias, in quibus collocauit ideas, esse quasdam existentias æternas, immutabiles, necessarias, improductas, & sensibus imperuias, atque intelligibiles tantum: existentias autem sensibiles (quæ, quia tales, solæ dici solent existentia, sicut & illæ, non tam existentia, quam essentia) existentias, inquam, sensibiles comparatione illarum, esse adeo imperfectas, ut non res veræ, sed rerum simulacra mereantur appellari: quo pacto creaturæ omnes, siue sensibiles, siue etiam spirituales, & solius mentis oculis accessæ, si contenduntur cum Deo, entia tantum, secundum quid dici possunt, & solent à multis Patrum, & Theologorum: Porro mirum non est, Platonem ita de ideis, quas in essentiis constituit hallucinatum fuisse, cum plures Thomistæ, hodieque censeant, essentias habere ab æterno verum esse, non existentia, ac essentialia, putentque particulam, essentialia, non esse alienationem, nec transferre esse, supra quod appellat, à propria ad improprium significationem.

23 Respondeo secundo, uti supra constituimus, ideas in notionibus diuinæ mentis bifariam viciis, nempe, & in abstracto, & etiam non in abstracto, sed in concreto cum obiectis suis: ita similiter modo nobis id placere, ut existimemus, ideas interdum sumi à Platone pro essentiis seorsum, & secundum se sumptis, interdum vero pro essentiis, ut sunt à Deo cognita, siue, quod perinde, pro complexione quadam essentiarum, & actuum, quibus à Deo cognoscuntur. Esse ergo illud tam perfectum, & præ quo quidquid cernimus est prope nihil, ideis à Platone attributum, est esse essentia, non intrinsecum, sed potius extrinsecum, quod situm est in cognitione creatoris, quæ quidem est immutabilis, æterna, necessaria, increata, & infinites perfectior sensibilibus existentis. Hinc patet, duos modos explicandi Platonem à nobis traditos haud sibi contrariari, sed potius coherere inuicem: quod argumento esse potest vtrique veritatem constare: verum enim, ut aiunt, vero consonat. Atque hæc habui dicere de mente tanti Philosophi: quam si non assecutus sum, certè; ut assequer, omnia eius scripta, quanto potui studio, peruolutui: quo magis æquum est coniecturis meis, vel fidem haberi, vel veniam.

CAPVT II.

An ex identitate, & multiplicitate reali vniuersale à parte rei, saltem de potentia Dei absoluta sequatur?

24 Nonnulli existimant possibilem esse naturam creatam vnam realiter, & duabus, aut pluribus naturis inter se realiter distinctis realiter indistinctam, & eandem; talemque naturam vniuersalem esse ex parte rei, eo videlicet, quod illa tenus vna sit, ac simul multiplex: in quod commentum inclinatur Okamus in 2. dist. 2. q. 3. illudque solum probat, quia in eo nulla videtur apparere contradictio, aut implicitantia terminorum.

25 Cæterum commentum est, ut aiebam. Siquidem nulla quantitas terminos infinite distantes immediate attingere per vicationem potest, absque infinitate

finite molis: nulla ergo natura creata immediate attingere per identitatem potest terminos infinite distantes absque infinitate entitatis, & perfectionis: nulla ergo potest identificari duobus contradictoriis virtualiter talibus, ac proinde infinite distantibus: oppositio enim contradictoria ex genere suo est oppositio summa, & qua alia maior reperiri nequit, atque adeo infinita simpliciter oppositio est: quod autem magis aliqua extrema opposita sunt, eo magis distant, cum oppositio distantia sit: quare contradictorie opposita simpliciter infinite distant: Tum sic, nulla natura creata absque eo, quod simpliciter infinita sit identificari potest duobus contradictoriis formaliter, aut virtualiter talibus. cum hæc simpliciter infinite distent: at si aliqua natura creata duabus naturis, aut pluribus realiter inter se distinctis identificari posset, duobus contradictoriis identificaretur, nulla igitur natura creata duabus, aut pluribus naturis realiter distinctis identificari sustinet. Maior vnâ proposita est; atque probata. Minor suadetur, quoniam omnis natura virtualiter contradicit cuius alteri à se realiter distincta, cum eius negationem sibi formaliter contradicentem inferat, & Petrus v. g. sit virtualiter, & illatiuè non Paulus, contradictio autem virtualis in illatione, seu virtute contradictionis formalis sita est. Ratio autem hæc in diuinis minimè procedit, ubi videlicet natura diuina quia simpliciter infinita est, tribus personis realiter distinctis, ac virtualiter contradictoriis identificari potest, ac debet.

Quod autem huius rationis efficacia magis elucescat, dices aduersus eam primo, terminos etiam formaliter contradictorios non distare simpliciter infinite: non enim magis distat Petrus v. g. à non Petro, quam Petrus sit in se: aut paulò aliter, Petrus à non Petro tantum distat iuxta mensuram suæ perfectionis: cum ergo Petrus sit finita perfectionis, & entitatis, tantum finite à suo contradictorio formali distabit. Verum contradictoria non dicuntur simpliciter infinite distare, eo quod vnus perfectio simpliciter infinite superet perfectionem alterius, sed ob infinitam eorum interapedinem, & quasi extensionem, cui omnia possibilia, & existentia creata, & increata, entia, & non entia, quæ quidem simpliciter infinita sunt commensurantur, propterea, quod eorum nihil sit, quod Petrus, aut non Petrus minime sit: hoc autem sine infinitate simpliciter concipi nequit: quemadmodum intelligi etiam nequit spatium aliquod non esse infinitum, cui corpus infinitum commensuratur. Dices secundò, & præcedentem vrgebis instantiam: Contradictoria saltem virtualiter eiusmodi, siue distincta realiter nequaquam habent eam infinitam extensionem, & interapedinem, quam contradictoria formaliter talia sortiuntur, vt liquet ex nuper dictis: Quam ob rem haud videtur nostro argumento conuinci eandem rem creatam neutiquam identificari posse cum contradictoriis prioris generis, de quibus solis est quæstio. Sed respondeo, contradictoria hæc, de quibus est potissime controversia, habere extensionem illam, & interapedinem infinitam virtualiter, & eminenter, ac proinde longe perfectius, quoad nostrum satis est argumentum.

Dices tertio esse virtualiter, siue ratione ratiocinata animal, & non esse virtualiter animal infinite distant, quandoquidem nihil excogitari potest, quod non sit, vel virtualiter animal, vel virtualiter non animal; & tamen eidem rei conueniunt: similiter ergo in præsentī &c. maior semel pro-

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

sita est, atque probata: minor suadetur: namque animal est virtualiter animal, & rationale non est virtualiter animal, siue, quod iuxta, est virtualiter non animal: at animal, & rationale est vna, eademque res, quæ est eorum identitas siue indistinctio realis supra dicta: ergo prædicata infinite distantia, eidem nihilominus rei conueniunt. Respondeo, ea nequaquam distare infinite, quia non distinguuntur realiter: ita enim comparatum est, vt ad distantiam infinitam præter interapedinem, & extensionem illimitatam, quam vltro largior inter esse virtualiter, & non esse virtualiter animal vltius requiratur distinctio realis: absque hac etenim quæ potest concipi distantia vlla, ne dum infinita: quando igitur inter esse virtualiter animal, & non esse virtualiter animal, sed potius rationale non sit distinctio realis, vt dictum est, quid mirum, si huiusmodi prædicata non distent infinite inuicem? Cæterum de hoc fortasse latius alibi.

Dices quartò: homo, quem abstrahimus per intellectum à Petro v. g. & Paulo identificatur realiter cum illis, aliàs quo pacto posset de alterutro prædicari? Nihilominus non est simpliciter infinitus: quanquam ergo singularis aliqua natura creata, aut potius creabilis identificetur realiter cum pluribus inter se distinctis, non ob id euadet merito illius identitatis simpliciter infinita: Proinde cur nam est repugnare censenda? Respondeo, hominem intellectus nostri beneficio abstractum à Petro v. g. & Paulo tantum imperfe è identificari cum alterutro, quæ est eius ab eorum quolibet distinctio realis inadæquata: quid mirum ergo, si talis identitas haud perinde arguat infinitatem in ratione communi hominis. atque eam arguit in natura creabili, de qua est quæstio, eius adæquata, & penes se totam identitatem cum pluribus rebus inuicem realiter distinctis, & quod hinc sequitur, distantibus inter se infinito simpliciter interstitio. Paulò aliter etiam respondeo: Infinitas iuxta nos inde tantum colligitur, quod vna, & eadem res sit coniuncta per identitatem extremis inter se realiter distinctis: homo autem in communi non est simpliciter vna, & eadem res, sed secundum quid, & per extrinsecam quandam denominationem intellectus nostri confundentis, quæ re ipsa nullam habent confusionem, & identitatem: nihil enim est homo, vt sic, quam collectio humanitatum Petri, & Pauli, & cæterorum indiuiduorum ab indiuiduationibus abstracta, & confuse cognita: At natura, quæ de loquimur, est simpliciter, & re ipsa vna, & eadem: eius ergo identitas cum distinctis realiter extremis argumentum esse potest infinitatis, quamuis in homine vt sic respectu Petri, & Pauli secus accidat.

Dices quinto: Petrus, & Paulus identificantur realiter secum ipsis: & tamen ambo sunt finiti, & infinitatis simpliciter talis prorsus expertes: quanquā ergo aliqua natura singularis creata cū duabus, vel naturis, vel personis, quatum vna, perspicuitatis gratia vocetur Petrus, & altera Paulus, sit realiter identificata, non propterea erit simpliciter infinita. Respondeo: extendi quidpiam per vniōnem informatiuam ad plura subiecta, idque penes vnum idemque sui maioris perfectionis argumentum est, quam si quid penes aliud, aliudque sui ad plura extendatur subiecta: Hoc pacto anima humana perfectior est multis partibus quauis forma materiali, & diuisibili: illa enim indiuisibiliter, & penes vnā, eandemque simplicem, quæ pollet, entitatem ad cuncta nostri corporis extenditur membra, atque informat, & viuificat; cum tamen

X 3

forma

forma materialis, & diuisibilis, quæ ea cunque fiet, non, nisi penes vnā sui partem perficiat vnā subiecti sibi corporis partem, & penes alias: Similiter ergo in præsentī maior longe perfectio, & excellentia est, si natura aliqua creata penes vnum, & idem sui identificetur cum rebus realiter distinctis, quam, si complexio aliqua rerum realiter distinctarum, cuiusmodi sunt Petrus, & Paulus penes aliam, aliamque sui partem fortitur identitatem cum extremis realiter distinctis, iis nimirum, quibus coalescit: Prior ergo identitas poterit esse cum infinitate coniuncta, secus verò hæc posterior. Solutiones etiam præcedentis instantiæ ad hanc alleuandam possunt accommodari.

30 Dices sextò: natura aliqua creata identificata cum Petro v.g. & Paulo non haberet, nisi perfectionem horum: sed horum perfectio est finita: talis ergo foret, & illius. Respondeo secutum iri ex ea hypothesi vtrumque: videlicet eiusmodi naturam fore finitam ob finitatem extremorum, quibus cum identificaretur, & tum hæc, tum etiam illam habitura infinitatem propter argumentum nostrum.

31 Dices septimò, & vltimò, infinitatem rerum realiter distinctarum vt talium esse per modum extensionis, & numeri, sin minus formaliter, at certe virtualiter, & ex æquivalenti, quia Petrus, v.g. & Paulus, siue non Petrus comprehendunt totam perfectionem per omnia entia dispersam, ac multiplicatam: sed huiusmodi infinitatem, non habet natura, cum vtroque identificata: ergo nullam: si enim aliquam: eam certe, quam habent formaliter, aut æquiualeuter res ipsæ, quibuscum identificatur. Respondeo, infinitatem naturæ creatæ identificatæ cum duobus extremis realiter distinctis fore non extensiuam, & numericam æquiualeuter, sed potius veluti intensiuam, ac neutiquam per plura dispersam: quo pacto, natura diuina propter identitatem, cum tribus personis posteriorem illam, non priorem habet infinitatem. Itaque extensio illa numerice infinita, quæ est quodammodo in rebus realiter distinctis, quæque facit in toto rerum Deo perspectarum numero, nihil esse, quod non sit, alterutra earum, vel non illa, haud dubie infert infinitam simpliciter perfectionem, tum in natura cum illis identificata, tum etiam, quod consequens est, in ipsismet, vt nostro videtur argumento conuinci.

32 Alio quoque argumento probari potest nostra sententia, & refelli Nominalium commentum. Totum in rebus creatis est maius, & perfectius sua parte, vt velut principium mathematicum omnibus est in explorato: sed oppositum vñueniret in Trinitate, aut quaternitate, illa creata: siquidem vna natura includeret totam perfectionem alterius à se realiter distinctæ beneficio tertij, in quo vniuntur, & identificantur: quocirca tres, aut quatuor illa natura creatæ, non essent maioris perfectionis simpliciter, & intensiue, quam vna sola. In diuinis hæc ratio non obstat: nam ob infinitatem, cuiuslibet partis, aut quasi partis, quælibet est æqualis suo toti, & vna persona omnibus tribus: nihil enim est, quod infinitum simpliciter superare sustineat.

33 Enimvero aduersus hoc argumentum duæ sunt instantiæ. Prima est talis: Qui trinitatem creatam, cum Ochamo, & Nominalibus admittunt, hi consequenter edocent hoc principium, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se, in rebus creatis non semper valere, sed potius ei subesse falsum aliquan-

do: nam iuxta eos duæ, vel tres entitates creatæ Deo possibiles sunt idem vni naturæ, & non sunt idem inter se, sed potius distinctæ: Haud ergo verebuntur reicere in rebus creatis hoc principium: omne totum est maius sua parte: quippe cuius euidencia haud est maior, quam, quæ elucet in illo altero, quod non semper admittunt: Perperam igitur eos hoc secundo principio vrgemus. Sed in primis negantes principia non, nisi aliis principiis possunt vrgeri: quod autem secunda non sint magis euidencia prioribus negatis, nihil refert; nam quæ seorsim non conuincunt, forsan turba valebunt. Rursus respondeo principium illud: quæ sunt eadem vni tertio, &c. in Metaphysica lib. 2. tract. 4. cap. 17. exponendum, vt valeat etiam in Deo: quid mirum ergo, si similiter in rebus creatis? iam ergo ex huius opposito perperam inferitur illud principium: omne totum est sua parte maius; haud esse semper verum in rebus finitis.

34 Secunda instantia aduersus secundum nostrum argumentum est, non sequi totum creatum non esse maius, quauis sua parte, tamen admittatur vna natura creata realiter identificata duabus, vel tribus entitatibus re vera distinctis inuicem: videlicet, quia vna entitas eorum non haberet in primis formaliter perfectionem trium, quibus cum identificatur in tertio propter eius ab eis immediatam distinctionem; nec etiam æquiualeuter, quia non esset infinita: ideo namque in diuinis quævis persona habet æquiualeuter perfectionem trium, quia est simpliciter infinita, quid enim est, quod simpliciter infinitum superet? quid consequenter est, cui hoc non æquiualeat? Respondeo: vna entitas earum haberet naturam communem tribus: sed ea natura esset æqualis perfectionis cum tribus, saltem negative, id est non maioris, nec minoris, videlicet propter identitatem cum illis: haberet ergo aliquid adeo perfectum, ac omnes tres, ac proinde earum perfectionem æquiualeuter.

35 Tertium aduersus Okamum, & Nominales argumentum esto: Non mirabilius mysterium diuinæ libertatis, quam Trinitatis: at illud in creatis nequit etiam diuinitus admitti: ergo nec hoc posterius: maior videtur citrà dubium: minor probatur: mysterium diuinæ libertatis in eo positum est, quod Deus velle, & non velle, nolle, & non nolle possit, absque eo, quod eius volitio, aut nolitio simpliciter mutari, vel deficere queat: at hæc concordia libertatis cum immutabilitate operationis liberæ in creatis repugnat: Si quidem omnis creatura est mutabilis in suo esse, iuxta illud sacræ paginæ: *Ego Deus, & non mutor*: omnis ergo creatura in operando mutabilis est, ac proinde libertas creata cum immutabilitate operationis liberæ nunquam poterit coherere: probatur antecedens, quia omne esse creatum à Deo produci, & fortassis etiam omne ab eo destrui potest: at productio, & destructio rei eius est mutatio: ergo omnis creatura est in suo esse mutabilis: consequentia probatur: quia duplex immutabilitas, in esse videlicet, & operari sunt in Deo coniunctæ necessariò: duplex ergo mutabilitas opposita erunt in creatura necessario coniunctæ: atque adeo, cum omnis creatura sit in esse mutabilis, omnis etiam erit in operando mutationi subiecta.

36 Tandem; si Trinitas, aut quaternitas creata non repugnarent, sanè aliqua natura creata infinitis prædicatis realiter distinctis, & non tot, quin pluribus, posset identificari, quod nemo sanæ mentis admittat: Sequela probatur, quia ideo præcisè hic processus

processus in infinitum personarum in Trinitate summa, & ineffabili minimè sequitur, quia duplicis processionis diuinæ termini, videlicet Verbum, & Spiritus sunt infiniti, adeoque vterque totam fecunditatem Dei ad intra exhaurit, vt late in materia de Trinitate explicari consuevit: at hac infinitate creaturæ carent.

37 Verumenimurò satis probabile est, ens à se esse vniuersale ex parte rei de facto, vt aiunt, si in duplici statu mox explicando consideretur: quare non video, cur auctores superioris sententiæ ad defendendum vniuersale ex parte rei ad ignotam illam, & commentitiam naturam confugerint. Etenim *ens à se* absolutum, & præcisum à relationibus est vnum realiter, & prout contractum identice ad relationes, seu prout relatiuum est realiter multiplex, cum tres relationes diuinæ tria entia à se relatiua sint vt docet P. Suarez de Trinit. l. 3. cap. 6. At hæc vnitas, & multiplicitas realis entis à se in duplici illo statu est ad vniuersale sufficiens: igitur ens à se in duplici illo statu consideratum ex parte rei vniuersale erit. Maior argumenti iam probata est. Minor suadetur, quia alioqui homo vniuersalis per intellectum non esset, cum tantum sit vnus. & multiplex in duplici statu; vnus nimirum prout absolutus, seu præcisus à singularitatibus, & multiplex prout ab iis contractus. Confirmatur: si cum vnitate Dei Deorum multiplicitas cohereret, omnes Deum vniuersalem ex parte rei faterentur, cum nemo non ex opposito fundamento vniuersalitatem Dei impugnet: at ens à se ex parte rei est vnum ens absolutum, & plura entia relatiua: igitur ens à se est ex parte rei vniuersale, si non in vno solo, sed in duplici statu consideretur.



TRACTATVS III. De Vniuersalitate formali, & virtuali.

CAPVT I.

An ex unitate, siue identitate, & distinctione formali, aut ex natura rei sequatur vniuersale à parte rei?

1] N statuenda vnitate formali, & non tantum distinctione eiusdem ordinis consentiunt Scotistæ omnes, præsertim Lichetus in 2. dist. 3. q. 1. Trombetta q. 38. met. Rada tom. 2. controuers. 3. art. 1. Antonius Andreas l. 7. met. quæst. 17. Ioan. Monlorius disp. vniuersal. c. 5. & 6. At cuiusmodi sit talis vnitas formalis, & quo pacto ex ea, & coniuncta cum ea distinctione formali sequatur vniuersale à parte rei, haud ita concordant.

2 Aliqui, naturam humanam v. g. eatenus esse formalem vnum, & vniuersalem à parte rei censent quia est omnino eadem in suis inferioribus, & nullo modo multiplex: sic, vt quamuis sint plures homines, hoc tam en in singularitatum magis, quam naturæ humanæ pluralitatem referendum sit. Verum hic modus vnitatis formalis in loco à nobis satis reiicietur. Eo verò disputandi gratia permisso,

quantum mea opinio est, sequitur vniuersale à parte rei; quippè, quia homo, vt sic, est vnus, & est multiplex: & sequitur etiam per locum intrinsecum, haud dari posse vniuersale à parte rei: cum enim natura humana sit omnino eadem, & nullatenus multiplicata, quæ fieri potest, vt sint plures homines, sicut ad hominis vniuersalitatem oportet?

3 Secundo alij Scotistarum tuentur, vniuersale à parte rei, quia natura humana v. g. quatenus omnes comprehendit, re ipsa est vna formaliter, & ex natura rei, ac rursus eadem est multiplex numericè, & veluti materialiter beneficio singularitatum, per quas contrahitur. Sed cum vnitas illa formalis humanitatum omnium, quæ per indiuidua speciei humanæ sunt longè lateque dispersæ, prorsus repugnet, vt demonstrabitur in in metaph. lib. 2. tract. 3. cap. 6. sanè, & quod ex ea infertur vniuersale à parte rei, reiiciendum est: haud enim ex antecedenti omnino falso existit absolute consequens verum. Enim vero permixta disputandi gratia id genus vnitate, & distinctione formali, siue ex natura rei, sequi vniuersale à parte rei arbitror cum P. Suarez & non paucis aliis nostrorum. Dices tamen primò cum Hurtado, Arriaga, & Conimbricensibus, qui tuentur oppositum: natura diuina non est vniuersalis, & tamen ita est vna, vt simul habeat secum identiticas personalitates realiter distinctas: quanquam ergo natura humana admittatur vna formaliter in omnibus hominibus, & habeat in eis singularitates realiter distinctas, haud propterea euadet vniuersalis à parte rei. Sed ratio discriminis est in promptu: namque natura diuina, siue essentia Dei absoluta haud fit multiplex per personalitates, quippe quarum officium est, non multiplicare, sed suppositare, vt aiunt: cæterum natura humana plurificatur per singularitates: harum enim partes sunt, non solum se ipsas numericè distinguere, ac multiplicare sed naturæ, cui realiter identificantur, eandem impertire multiplicitem, siue quod perinde est, illam denominare numero multiplicem, haud secus, atque effectus formalis candoris est reddere subiectum album: quanquam ergo natura diuina non sit vniuersalis à parte rei, quid inde ad humanam, aliamve creati ordinis?

4 Dices secundo: collectio humanitatum, prout est vna humanitas, sin minus numericè, at saltem ex natura rei, & formaliter, haud est re ipsa in Petro v. g. & Paulo, & cæteris indiuiduis speciei humanæ diuise sumptis, sed in quouis est iua, & non alterius. Atqui ad vniuersale, non tantum requiritur vnitas, & multitudo, sed etiam communitas, merito cuius ratio vniuersalis, & vna sit tota in quouis inferiori seorsim sumpto: quo pacto homo v. g. per intellectum factus vniuersalis prædicatur instar totius potestatiui de Petro. v. g. nec non de Paulo, &c. Quanquam ergò in Scotistarum sententia natura humana sit vna, & multiplex beneficio vnitatis formalis, id satis non erit ad eius vniuersalitatem: perperam ergo hanc à parte rei tuentur inueniri. Respondeo collectionem illam humanitatum omnium esse tamen à parte rei in quouis indiuiduo speciei humanæ diuise; sigillatimque sumpto; esse, inquam, non determinatè, & copulativè usurpatam, sed disiunctim, & indeterminatè: nam à parte rei Petrus est hic, vel ille homo, & Paulus similiter: & sic in reliquis: quamuis autem indeterminatio mera repugnet à parte rei, ac sit in solo intellectu, at indeterminatio coniuncta cum aliqua determinatione à parte rei inuenitur, vt sæpissimè dictum huius decursu operis. Atque nisi munere cuiusdam